

erga Episcopos servare jubentur. Idem tom. 1, Constit. 18, incip. *Quod Apostolus*, et tom. 2, in *Appendice* n. 2. pag. 11 et sequent.

GUIDACIUM, SEU PEDACIUM.

Vide verbo GABELLA, n. 9

GULA.

SUMMARIUM.

1. Gula quid sit. — 2. Quinque sunt modi, quibus peccatum Gulæ solet committi, et assignantur. — 3. Præpropere, quando quis dicitur peccare peccato Gulæ. — 4. Laute, quando peccatur. — 5. Nimis, quando peccatur. — 6. Ardenter, quando peccatur. — 7. Studiose, quando peccatur. — 8. Gula, comessatio, potatio ordinarie per se est solum peccatum veniale. — 9. Per accidens tamen potest evadere peccatum mortale multipliciter. — 10. Illicitum est comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem. — 11. Satietas potest duo significare, et quomodo. — 12. Ebrietas quid sit. — 13. Ebrietas formalis, et voluntaria est peccatum mortale. — 14. Probabilis licitum est se inebriare ex præscripto medici ad recuperandam sanitatem, si desit aliud remedium. — 15. Varii alii contrarium sentiunt. — 16. Sic probabilis licitum est se inebriare ad vitandam mortem ab alio intentatam, dummodo absit scandalum, neque cedat in contemptum Religionis, et virtutis. — 17. Multi alii contrarium sentiunt. — 18. Alterum inducere, seu provocare ad illicitam ebrietatem semper est peccatum ex genere suo mortale. — 19. Sic peccant caupones, si inebriandos, plura vendendi ac lucrandi prætextu, ad potum continuandum provocant. — 20. Imo mortaliter peccant caupones, qui potum ministrant his, quos inde prævident inebriandos, si ex denegatione non timeantur gravia incommoda. — 21. Judex, qui inebriat reum, ut sic inducat ad fatendum erimen, dupliciter peccat. — 22. Si quis reum ad mortem

(1. Gula est inordinatus, seu immoderatus appetitus, ususque cibi ac potus. *Est in re communis.* (2. Quinque sunt species: seu modi, quibus peccatum Gulæ solet committi; Sic S. Gregorius l. 3. *Moral.*, cap. 17, ibi: « Quinque modis Gulæ vitium tentat, aliquando namque indigentia tempora prævenit, aliquando lautiores cibos quærit, aliquando quæ sumenda sunt accuratius præparari appetit, aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram necessitatis excedit, aliquando in ipso æstu immensi desiderii peccat. » S. Gregorium sequitur D. Thomas 2. 2. 9. 184, art. 4, et communis aliorum, et prædicti quinque modi comprehenduntur in hoc versu a S. Thom. l. c. adducto:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

(3. Præpropere quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando tempora indigentia prævenit. Unde si in die jejunii notabiliter præveniat tempus ordinarium refectiois sine necessitate, peccat mortaliter, si autem aliis diebus, vel nimis mane, vel ante orationem, vel sæpius, quam deceat, comedat, et bibat, peccat solum venialiter. Hic juvat adducere duos sequentes veteres versus:

Qui semel est, Deus est; homo, qui bis; bestia, qui ter; Qui quater, dæmon, qui quinques est sua Mater.

(4. Laute quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando nimia sollicitudine quærit cibos

ubi ad longum adducuntur, et ibi brevitatis gratia videndæ relinquuntur.

damnatum et rite dispositum inebriaret eo fine, ut cruciatus, et mortem non sentiret, peccaret graviter. — 23. Injuste detentus in carcere non peccat inducendo custodes ad materialem ebrietatem. — 24. Peccat tamen, si inducat ad ebrietatem formalem, etiamsi adesset periculum mortis. — 25. Si autem juste detinetur in carcere, peccat, licet ad materialem tantum ebrietatem inducat. — 26. Si grave malum non possit aliter impediri, nisi auctor inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem materialem. — 27. An hoc casu liceat eum inducere ad ebrietatem formalem ipsi voluntariam, et culpabilem? variant doctores. — 28. Qui ebrietate scit se solere percutere uxorem, filios, aliosque domesticos, aut damna inferre aliis, peccat etiam contra pietatem, aut justitiam, si se inebriet, et tenetur ad damna causata. — 29. Bibere in sanitatem aliorum potest esse licitum, si reipsa nihil aliud contineat, quam sanitatis appreciationem. — 30. Si autem per talem potum intenderet, et vellet quis inducere Deum ad sanitatem alteri dandam, esset peccatum superstitionis. — 31. Suadetur principibus, ne permittant hujusmodi vinaria vota pro salute fieri. — 32. Gulæ filia sunt quinque, scilicet: hebetudo mentis, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia. — 33. Quid intelligatur per hebetudinem mentis, et quale sit peccatum. — 34. Quid intelligatur per ineptam lætitiā, et quale sit peccatum. — 35. Quid intelligatur per multiloquium, et quale sit peccatum. — 36. Quid intelligatur per scurrilitatem, et quale sit peccatum. — 37. Quid intelligatur per immunditiam, et quale sit peccatum.

pretiosos, delicatos, aut particulares, et similiter pretiosiora, et delicatiora vina ex sola Gulæ aviditate. Si autem propter infirmi consolationem, principis, amicorum, seu conjunctorum adventum, convivii occurrentiam, vel ordinariam sese lautius certis diebus recreandi consuetudinem quærantur cibi pretiosiores, delicatiora, et rariores, nullum ordinarie committitur peccatum. Unde S. Augustinus, l. 3, de *Doctrina Christiana*, cap. 12, sic ad rem dicit: « In omnibus talibus, non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœdissima Gulæ flamma in vilissimum ardeat. » Idem ait S. Gregorius l. 28 *Moral.*, cap. 14: « Neque enim cibus, inquit, sed appetitus in vitio est, unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus; et abjectiones non sine reatu conscientia degustamus. »

(5. Nimis quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando nimiam et immoderatam cibi et potus quantitatem absorbet; quia tamen difficile est limites debitæ comestiois et potationis non excedere, cum venter sit exactor inquietus, nisi temperantiæ frenum ei injiciatur; unde S. Gregorius l. 30 *Moral.*, c. 14, dicit: « Quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, et quid voluptas suppetat, ignoratur. » Ideo de-

bet unusquisque complexionem suam consulere, et inde sibi regulas præscribere, semper in mente retinens id quod dicit Card. Bona in *Manud. ad cælum* c. 4, § 1, scilicet quod pauci sunt infirmi, quos Gula ad ægritudinem non adegerit, et ibidem § 1, in fine, quod *Gula multo plures occidit quam gladius*. Unde recte poeta, prout refert Ursaya in *Miscellaneo sacro et profano*, verb. *Gula*:

Gulæ pone metas, ut sit tibi longior ætas.

(6. Ardenter quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando cibum, et potum nimis avidè sumit, quod contingere potest etiam in cibis, et potionibus vilioribus, ut patet experientia in Esau, qui nimis avidus lenticulæ fratris sui Jacob pro ea primogenita sua stulte commutavit. Unde S. Augustinus, l. x *Confess.*, c. 31, ait: « Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis... Scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum. »

(7. Studiosè quis dicitur peccare peccato Gulæ, quando nimis accuratam, et exquisitam in ciborum condimentis præparationem exquirat: Unde Hugo, de *Disciplina* c. ult., dicit: « Quidam sunt, qui præparandis cibis nimium studium adhibent, infinita decoctionum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo calida, modo cocta, modo assa desiderant, et tanta sollicitudine præparantur, ut devoratis jam quatuor, aut quinque ferculis prima non impediatur novissima, semper novos sapes desiderant instar feminarum prægnantium.... ad irritandam autem Gulam hæc fiunt, non ad sustentandam naturam; ad aviditatem explendam, non ad necessitatem supplendam. »

(8. Gula, comessatio, potatio ordinarie per se est solum peccatum veniale, quia nimirum excessus non enormis in re alias indifferenti, vel licita, non nisi venialis culpa est. Sic S. Augustinus serm. 4, in die Animarum l. 10, ubi ait: « Quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit quam necesse sit, ad minuta peccata pertinere noverit, » et S. Thomas, 2. 2, quæst. 148, art. 2, sic dicit: « Si vero in vitio Gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantum secundum ea quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum... est peccatum veniale. »

(9. Per accidens tamen potest evadere peccatum mortale multipliciter. I. Ratione enormis excessus, et deformitatis contra virtutem temperantiæ qua homo statum naturæ rationalis enormiter et horrendè deturbat,

(12*) Damnata ab Innocentio XI propositio eo videtur exposita consilio ab Auctore nostro, ut licitum esse velit intendere delectationem, quæ capitur ex cibo et potu moderato; quemadmodum a Sanchezio, Escobario, Moya, aliisque benignioribus theologis propugnatur. Cum solam cibi vel potus quantitatem respicere propositionem illam contendat, facile est intelligere Ferrarium nostrum opinari improbatam a Summo Pontifice non esse delectationem, quam pro fine habeat ultimo comedens, et bibens ad satietatem. Sed quis æquo animo ferat hanc interpretationem? Voluptas sane, et sapor cibi et potus peccatum non est, quia non solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis, inquit August. lib. IV, contra *Julian.*, cap. 14, sed qui man-

FERRAR. IV.

maxime qui scienter et ordinarie se insercit, et ingurgilat usque ad vomitum, et qui ex proposito comessat, et potat in excessu, ut vomat; talis enim Gula, comessatio, et potatio ad Roman. XIII, Galat. V, I. Petr. IV, et in Epistola Judæ, 12, inter peccata mortalia enumeratur. II. Ratione scandali: dicit enim Apostolus I ad Cor. VIII: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. III. Ratione gravis nocuenti corporis, ut qui ex nimia comessatione et potatione prævidet aut prævidere debet contracturum se morbum notabilem, ut enim dicitur Ecclesiastic. XXXVII: *Propter crapulam multi perierunt*. IV. Ratione gravis nocuenti animæ, et cum quis advertit ex nimia ingurgitatione sibi causari graves motus libidinosos, quibus ordinarie consentire solet. V. Ratione impotentia servandi præcepta graviter obligantia, ut solvendi debita, alendi familiam, studendi in judice, aut advocato, ubi res urget et hujusmodi. VI. Ratione ultimi finis positi in cultu ventris, ut faciebant olim Epicurei, de quibus Apostolus ad Philippens. III. dicit: *Quorum Deus venter est; et ad Roman. XVI: Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*.

(10. Illicitum est comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem. Innocentius enim XI, die 2 Maii 1679, expresse damnavit sequentem propositionem inter alias ordine 8: « Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. » (11. Hic ad damnatæ propositionis (12*) intelligentiam est advertendum, quod satietas potest duo significare, vel comestioem et potationem talem, qua satisfit fami et siti; vel talem, quæ fiat in majori quantitate quam requirit sustentatio. Si sumatur primo modo, comedere et bibere usque ad satietatem, nullum est peccatum; si secundo modo, est peccatum. Sic ex Augustino tom. X, serm. 4, in die Animarum; ex S. Gregorio lib. XXX *Moral.*, c. 17; ex S. Isidoro relato, et secuto a S. Thoma, 2-2, q. 148, art. 4, probat Cardenas in 2 Crisi dissert. 7, n. 26. Sanctus enim Augustinus l. c. sic ait: « Quoties aliquis in cibo, et potu plus accipit quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit. » S. Gregorius loc. cit. ait, committi peccatum Gulæ, cum quis in ipsa quantitate sumendi mensu-

ducat et bibunt ob solam voluptatem semper peccant, saltem venialiter; nam inordinatus tunc est eorum appetitus quo fruuntur utendis, ideoque peccatum Gulæ, juxta traditam definitionem. Audiat S. Thom., 2-2, quæst. 189, art. 2: « Homines, inquit, Gulæ dediti, ventri suo, tanquam ultimo fini famulantur; » ut Rom. XVI ait Apostolus: *Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed ventri*. Item ad Philippens. III: *Quorum Deus venter est. Si vero in vitio Gulæ*, subdit idem doctor, intelligatur inordinatio concupiscentiæ, secundum ea quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationem ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale. » (NOTA ROMANI THEOLOGGI.)

3

ram necessitatis excedit; S. Isidorus loc. cit. affirmat peccare gulosum, dum excedit in cibo, secundum quantum; S. Thomas I. cit., in dicto versu dicit: quod committitur peccatum Gulæ, cum quis nimis comedit.

(12. Ebrietas est excessus voluntarius in potu, voluptatis gratia factus usque ad privationem usus rationis. Est in re communis.

(13. Ebrietas formalis et voluntaria est peccatum mortale. Est communis cum S. Thoma, 2-2, q. 150, art. 2, et habetur ex sacra Scriptura: ad Galatas enim v: *Ebrii excluduntur a regno Dei*; et Isaia v, legitur: *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam... Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Væ autem non usurpat Scriptura, nisi contra peccatum mortale.

(14. Probabilius licitum est se inebriare ex præscripto medici ad recuperandam sanitatem, si desit aliud medium. Et ratio est, quia sicuti licitum est se in perpetuum privare brachio, vel pede, ut servetur totum corpus, ita multo magis ad breve tempus usu rationis; non enim est inebriatio formalis, quia non est voluptatis gratia, ut requiritur ex data definitione, sed materialis, ut ex justa causa, cum talis ebrietas sit reipsa necessaria ad conservationem vitæ (13). Sic tenent Silvester, verb. *Ebrietas*, q. 2. Sa, eod. verb., num. 4. Armilla, eod. verb., num. 5. Naldus, eod. verb., num. 2. P. Ledesma, tract. 23, cap. 3. Navarr., cap. 23, n. 119. Tolet., lib. viii, cap. 61. Tanner., 2-2, d. 3, q. 4, n. 53. Diana, p. 6, tract. 7, resolut. 44. Bonacina, t. II, d. ult. quæst. 1, part. I, propos. 1, n. 3. Alv., 1, 2, d. 147, n. 6. Reginald., lib. xii, cap. ult., num. 55. Baldell., lib. iii, d. 30, num. 23. Rayn., *de Virt. et Vit.* lib. vi, sect. 2, cap. 6, num. 113. Joan. Pontius, d. 22, q. 12, num. 103. Stephan., tit. 1, d. 5, num. 76. Loth., tract. 18, art. 8. Ilung., tract. 4, d. 1, num. 54. Layman, lib. iii, sect. 4, num. 5. Busembaum lib. v, dub. 5, art. 2. Sporer., t. I, tract. 1, cap. 7; sect. 2, n. 62. La Croix, l. v, n. 311, aliique plurimi citati ab ipso num. 309. (15. Varii autem alii cum Mendo d. 13, q. 24. Henno, tom. I, tract. 1, *de Peccatis actualib.*, disp. 4, art. 3, conclus. 1, et apud ipsum S. Antoninus, Silvius, et alii sustinent contrarium, quia, dicunt ipsi, ebrietas est intrinsece mala, et per se loquendo est peccatum mortale, adeoque nunquam potest

(15) Ebrietas jure naturali, et divino prohibita est. Itaque a supremo Medico, in cuius manu salus et vita hominis est, omnino damnatur. Quis ergo medicorum pro medicina præscribat, quod supremus vitæ Dominus exsecratur? Docet utique sanctus Thomas largiorem potum sanitatis causa sumi posse ad vomitum excitandum, sed subdit 2-2, quæst. 150, art. 1 ad 5, *«Nec tamen ad vomitum requiritur, quod sit potus inebrians, quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat; et ideo propter hanc causam non excusatur aliquis ab ebrietate. Sed abstinere ab ulteriori confutatione; quia casus chimericus est; neque enim designari morbus potest, cuius necessaria et unica medicina ebrietas sit, sicut morbi occurrunt in brachio, vel alio membro, quos sola membri amputatio curare, et sanare possit. Quamobrem frustra in ebrietatis favorem*

esse licita. At revera ebrietas est solum intrinsece mala, cum est facta voluptatis gratia, non autem cum est facta ex justa causa, qualis est conservatio vitæ non alio medio conservabilis.

(16. Sic probabilis licitum est se inebriare ad vitandam mortem ab alio intentatam, dummodo absit scandalum, neque cedat in contemptum religionis, et virtutis temperantiæ a Christianis servandæ. Et ratio est, quia, si ad redimendam vitam a tyranno fas est sibi ipsi manum, vel pedem amputare, cur non etiam rationis usum ad breve tempus sibi adimere? Lessius, lib. iv, cap. 3, d. 4, num. 37. Layman., loc. cit., n. 5. Busembaum, loc. cit., 3. Azor., Reginald., Baldell., La Croix, et alii. (17. Contrarium tamen sentiunt multi alii, nitentes pro se adducere divum Augustinum, serm. 232, *de Tempore*, ubi sic habet: *«Etiam si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris: melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.»* Sed S. Augustinus, ut exponunt Lessius, Dicastill., Ilung. apud La Croix loc. cit., num. 311, loquitur de casu, quo in contemptum religionis, vel virtutis bibendum esset, quod et concedit etiam nostra conclusio. Fateor tamen contrariam opinionem esse vere probabilem, quinimo Henno loc. cit., conclus. 2, dicit esse communem contra paucos.

(18. Alterum inducere, seu provocare ad illicitam ebrietatem, semper est peccatum ex genere suo mortale. Sic S. Augustinus, serm. 231, *de Tempore*, ubi sic habet: *«Certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere laudem meretur ex crimine... Oh infelicitas generis humani! quam multi inveniuntur, qui ebriosos, et luxuriosos amplius quam oportet, cogunt bibere, et ante ostium pauperibus petentibus, vel unum calicem dissimulant dare... Quando animalia ducuntur ad aquam, ubi saturaverunt sitim suam, etiamsi supra aquam ipsam diutius teneantur, expleta siti bibere nolunt omnino, nec possunt; considerent ebriosi, si non peiores animalibus iudicandi sint... Et quod peius est, aliqui clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt aliquos plus bibere quam expedit... Si et te, et alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum.»* Sic S. Ambrosius *de Elia, et*

hæ ac iis similes opiniones excogitate a Probabilistis fuere; neque tutæ haberi possunt opiniones, quas Auctor infra recenset num. 16, 25 et 26, quas conferre juvat cum doctrina S. Cæsarei serm. 295, in *Appendice oper. S. Augustini*: *«Solent, inquit, ebriosi, ut dicant: Persona potens me coegit ut amplius bibam: et in convivio regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætextimus, et quod implere nolimus, non potuisse nos dicimus... Etiam si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibes aut morieris, melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.»* Item serm. 292: *«Qui alterum cogit ut se, plus quam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem occideret.»* (NOTA ROM. THEOLOG.)

jejunio, c. 13 et 14, graviter tales reprehendit, qui ad vini haustus se mutuo provocant, verisimiliter prævidentes in se, vel altero ebrietatem secururam esse. Et S. Augustinus, citat. serm. 231, de Tempore, sic expresse ad rem loquitur: «Qui enim alterum cogit, ut se, plus quam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulneraret gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret.» (19. Sic graviter peccant caupones, si inebriandos, plura vendendi, ac lucrandi prætextu ad potum continuandum provocent, nam si teste Apost. ad Romanos I, digni sunt morte, non tantum qui male agunt, sed etiam qui male agentibus consentiunt, a fortiori digni erunt morte, qui alios ad male agendum provocant, et inducunt. Communis. (20. Imo mortaliter peccant caupones, qui potum ministrant iis, quos inde prævident inebriandos, si ex denegatione non timeantur gravia incommoda. Communis et certa, teste Henno, loc. cit., artic. 4, conclus. 1.

(21. Judex, qui inebriat reum, ut sic inducat ad fatendum crimen, dupliciter peccat; primo peccat tantum, et eo genere peccati, quantum, et quo illi, qui illicite aliquem ad ebrietatem provocant. Secundo peccat etiam contra justitiam, quia vult ab invito extorquere confessionem, quare gravi injuria illum afficit; arg. *Qualiter, et Quando 17, de Accusat.* Hinc ex illa scientia, utpote illegitima nec juridica illicite procederet ad torturam vel ad sententiam; Baldell., lib. v, disp. 30, num. 29. Lessius, l. ii, cap. 29, dub. ult., n. 173. Clarus, in Practica criminali, q. 55. Glossa, et DD. in l. penult., ff. *de Quæst.* (22. Si quis reum ad mortem damnatum, et rite dispositum inebriaret eo fine, ut cruciatus et mortem non sentiret, peccaret graviter, quia hic non est finis potus, neque est ratio sufficiens tollendi rationem pro eo tempore quam maxime necessariam. Dicastill., lib. i, *de Justitia et jur.*, disp. 3, dub. n. 11, 146. Fanner., t. III, disp. 2, qu. 6, dub. 8. Gobat., tom. II, c. 13, n. 38, et alii.

(23. Injuste detentus in carcere non peccat inducendo custodes ad materiale ebrietatem cum in tali casu ex quo ebrietas ipsis custodibus non sit voluntaria, ipsi inculpabiliter inebrientur, et aliunde injuste detentus utatur jure suo ad se liberandum a tali injustitia sine propria, et custodum culpa. (24. Peccat tamen, si inducat ad ebrietatem formalem, etiamsi adesset periculum mortis, quia est intrinsece malum inducere aliquem directe ad peccatum, quidquid contradicere videatur Lessius, l. iv. *de Justitia, c. 3, n. 53, et Baldellus, l. v, disp. 30.* (25. Si autem juste detinetur in carcere peccat, licet ad materiale tantum ebrietatem inducat, partim quia inducit ad aliquid de se malum, partim quia est causa injusta gravium maiorum quæ patientibus custodes. Gobat. t. II, c. 13, num. 30. La Croix, lib. v, c. 3, dub. 5, art. 2, num. 332, et alii.

(26. Si grave malum non possit alia via impediri, nisi auctor inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem materiale ei peni-

tus involuntariam, ut scilicet præter intentionem, ideoque inculpabiliter inebrietur, v. g. præbendo tali homini vinum fortissimum, seu medicatum, cujus vi ignorata inebrietur, et sic omittat grave illud malum jam ideatum, et præparatum, exempli gratia prodicionem urbis, incendium communium et publicarum scripturarum, abductionem, seu deprædationem publici ærarii, et hujusmodi. Tunc enim videtur adesse justa causa sic eum materialiter inebriandi, et aliunde non induceretur ad peccatum formale, cum talis ebrietas esset ipsi penitus involuntaria. Sic Lessius, lib. iv, cap. 3, dubit. 4, num. 37. Sanchez, lib. ii *de Matrimon.* d. 11. Busembaum, lib. v, cap. 3, art. 2, num. 5. Diana, Medina, Gobat., et alii. (27. An autem hoc casu liceat eum inducere ad ebrietatem formalem ipsi voluntariam, et culpabilem, variant doctores. Lessius, loc. cit., n. 32, affirmat: quia, inquit, licet suadere, et inducere ad minus malum, ut impediatur majus. Rectius tamen negant Arsdechin., in q. q. singul., q. 11. Burgh., cent. 3, caus. 68. Layman., l. iii, sect. 4, n. 6. Busembaum, loc. cit., et alii. (28. Qui in ebrietate scit se solere percutere uxorem, filios, aliosque domesticos, aut damna inferre aliis, peccat etiam contra pietatem, aut justitiam, si se inebriet, teneturque compensare damna in tali ebrietate aliis illata, cum sint satis prævisa in causa, neque adhibeatur sufficiens et requisita præcautio. Gobat., t. I, tract. 5, c. 19, sect. 1. La Croix, l. v, n. 334, et alii passim.

(29. Bibere in sanitatem aliorum, v. g. regum, principum, magnatum, amicorum, et hujusmodi est mos satis antiquus, ut ex Ovidio, Horatio, atque aliis ostendit Fornerus, l. iii, *de temulentia Malo*, cap. 16, et potest esse laudabilis et licitus, si reipsa nihil aliud contineat, quam sanitatis appreciationem, cum sit consuetudo usitatissima in conviviis etiam clericorum, et religiosorum modestiæ laude non carentium, dummodo tamen non interveniat in similibus potationibus aliqua ad vini haustus mutua provocatio cum solito periculo ebrietatis; ut ad rem S. Augustinus, et S. Ambrosius adducti supra sub num. 18. (30. Si autem per talem potum intenderet, et vellet quis inducere Deum ad sanitatem alteri dandam, esset peccatum superstitionis, quia esset actum per se indifferentem, et non spectantem ad Dei gloriam velle movere, et inducere Deum ad aliquid faciendum, quod est superstitiosum, cum ex S. Thoma, 2-2, q. 93, art. 2, in corpore, et communi aliorum, actus superstitionis exercentur, quoties ad Dei gloriam facimus aliquid, quod ad Dei gloriam non pertinet. Tum quia potest esse peccatum, cum tales propinationes sæpissime fiant ex sola adulatione, et talia pocula ut plurimum ebibantur cum præsentissimo periculo lædendi mentem, sanitatemque propriam, vel alienam; unde, ut refert Gobat., tom. II, tract. 5, cap. 14, sect. 8, num. 68, scite scripsit quidam sibi notus medicus:

Quo tibi potarum plus est in ventre salutem,
Hoc minus a potis hisce salutis habes.

Hinc S. Ambrosius de *Elia et jejuniis* cap. 7, sic ait: « Quid autem obstationem potantium loquar? Quid memorem sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquit, pro salute imperatorum, et qui non biberit, sit voti reus in devotione. Videtur enim non amare imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O piæ devotionis obsequium! Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire credunt. O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant! » (31. Unde Fornerus loc. cit., cap. 19, suadet principibus, ne permittant hujusmodi vinaria vota pro sua salute fieri, ne Deus irritatus peccatis quæ intervenire solent, morbo potius illos plectat, quam sanitate donet. Vid. Gobat., loc. cit., sect. 8, per tot. La Croix loc. cit., num. 327. Forner., loc. cit., cap. 19.

(32. Gulæ filia quinque assignantur a S. Gregorio, l. iii. *Moral.*, c. 17 (alias 31), a S. Thoma 2-2, q. 148, art. 6, in corp., S. Antonino, part. 6, tit. 6, cap. 4, ante § 1, et sunt: Hebetudo mentis, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, immunditia. (33. *Per hebetudinem mentis* intelligitur obfuscatio intellectus orta ex ciborum et poculorum fumositatem, caput perturbante, atque impediende operationes intellectus ac rationis, ut non possint penetrare ea quæ cæteris possent, ac deberent, et ideo monuit Christus Luc. xxi: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate.* Unde S. Joan. Chrysost., hom. 44 in *Joan.*, sic ait: « Nihil gula perniciosius, nihil ignominiosius est; hæc obtusum, et crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc excæcat intellectum, nec sinit, ut quidquam perspiciat. » Tunc solum per eam aggravatur malitia Gulæ, quando per eam impeditur cognitio illorum, quæ quis scire debet, v. g. necessaria ad salutem, et necessaria ad recte fungendum officio proprio, et hujusmodi; S. Anton. loc. citat.; Baldell. *Theolog. moral.*, lib. iii, disp. 2, n. 1, et alii. (34. *Per ineptam lætitiã* intelligitur lætitia vaga, et incom-

posita, reddens hominem inaniter hilarem, et eum excitans ad stulte, obscæne aut infamatorie loquendum, ad ridicule saltandum, ludendum, et hujusmodi. Unde Exodi xxxii dicitur: *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere*, et S. Gregorius lib. 1 *Moral.*, cap. 4 (alias 5), sic ait: « Pene omnes epulas comitatur voluptas, nam cum corpus in refectionis delectationem resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. » Ordinarie loquendo non excedit peccatum veniale, nisi adhibeantur gestus, saltus, aut verba ad grave peccatum inducentia, vel grave malum causantia. (35. *Per multiloquium* intelligitur certa quædam superflua loquacitas, per quam augetur mortaliter Gulæ malitia, quando potus, vel cibus ingestus causa est gravis detractionis, secretorum revelationis, et hujusmodi. Unde Prov. x dicitur: *In multiloquio non deerit peccatum.* (36. *Per scurrilitatem* intelligitur certa jocularitas, qua excitatur risus per verba inhonesta, aut etiam per actus exteriores inhonestos; S. Thom. loc. cit., art. 6; S. Anton. l. cit., § 5. Unde S. Chrysost., homil. 57 ad *popul.*, sic ait: « Ubi ebrietas, ibi diabolus, ibi turpia verba; ubi saturitas, illic dæmones choros agunt, » etc. Scurrilitas si sit in materia indifferenti, cum solo excessu in jocis et facetiis, est solum venialis. (37. *Per immunditiam* intelligitur inordinata emissio quarumcunque superfluitatum, sive per vomitum, sive per pollutionem; S. Thomas, loc. cit., art. 6. Gobat. tom. II, tract. 5, cap. 23, num. 209. Unde Apostol. ad Ephes. v dicit: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, et sanctus Hieronymus, epist. 83 ad *Oceanum*, sic habet: « Venter mero æstuans cito despumat in libidines; in vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. » Ordinarie immunditia est solum peccatum veniale, potest tamen esse mortale, si inde sequatur notabile damnum in corpore, vel bonis fortunæ, aut aliorum scandalum; aut ex excessivo potu, et cibo intendatur, et directe procuretur voluntaria pollutio.

H

HABITUS.

SUMMARIUM.

1. *Habitus non facit Monachum, sed Professio regularis.* — 2. *Ut Professio regularis faciat verum Monachum, debet Novitius per integrum annum probationis deferre Habitum Monachalem, aliter Professio est invalida.* — 3. *In Habitu Sæculari nequit fieri Novitatus.* — 4. *Habitus Novitorum est triplex pro diversitate Religionum, et assignatur.* — 5. *Deferre habitum Novitorum non est de essentia, et necessitate anni probationis ad validitatem Professionis, sed sufficit deferre Habitum Religionis, seu Professorum.* — 6. *Novitius deferens per annum Habitum Religionis, completo integro anno probationis censetur tacite professus, si Habitum, quem defert, sit patenter indistinctus ab Habitu Professorum et aliunde concurrant aliæ qualitates requisitæ.*

— 7. *Secus autem, si Habitum Novitorum sit patenti distinctione distinctus ab Habitu Professorum.* — 8. *Nec requiritur protestatio ad hujusmodi Professionem præcavendam.* — 9. *Nec nocent antiqua Jura, quia censentur correctæ per Clementinam *Eos, qui, 2 de Regularibus.** — 10. *Habitus Religionis debet patenter deferri, non autem occulte.* — 11. *Potest autem Religiosus Habitum occulte deferre, seu etiam deponere, et alium inducere absque ulla culpa, si id faciat ex aliqua justa et rationabili causa.* — 12. *Religiosus dimittens temere Habitum suæ Religionis, est ipso facto excommunicatus.* — 13. *Habitus dimissio dicitur temeraria ad incurrandam hanc excommunicationem, cum sit animo vacandi et sine rationabili causa, secus si ex justa causa.* — 14. *Religiosus temere exiens a Claustro cum Habitu ita abscondito, ut a circumstantibus cognosci nequeat cujus Ordi-*

nis sit Religiosus, incurrit dictam Excommunicationem. — 15. *Religiosus dimittens Habitum temere, sed intra Claustra, non incurrit dictam Excommunicationem.* — 16. *Non incurrit dictam Excommunicationem Religiosus qui intra, vel extra septa ex quadam levitate dimittit Habitum suæ Religionis; et assignantur varii casus.* — 17. *Nec etiam dictam censuram incurrit, si Habitum dimittat ad finem domesticæ manendi per totam diem in Camera, vel alibi, dummodo Sæcularium conspectui non se exhibeat.* — 18. *Nec item incurritur dicta Censura propter dimissionem Habitum, si fiat animo adeundi pro brevi tempore ad lupanar, vel aliud turpius peragendum.* — 19. *Religiosus tenetur semper portare Habitum suæ Religionis.* — 20. *Verum ly semper debet intelligi moraliter.* — 21. *Religiosus an teneatur deferre, seu tenere proprium Habitum, et dormire cum ipso sub culpa, et sub qua, usque ad n. 22.* — 23. *Habitum Sæcularium Ordinum debent deferre Regulares ad cardinalatum assumpti.* — 24. *Sic episcopus Regularis tenetur portare Habitum suæ Religionis.* — 25. *Episcopi, et Cardinales Regulares, quamvis peccent, si sine causa Habitum Religionis deponant, non incidunt tamen in dictam Excommunicationem latam in cap. *Ut periculosa.** — 26. *Habitu Clericorum Sæcularium, qui in Episcopos creantur, uti possunt Canonici Regulares ad Episcopatum assumpti; nunc autem quoad Habitum Episcoporum et Cardinalium Regularium, attendenda est novissima Constitutio Benedicti XIII quæ affertur.* — 27. *Habitus, et color peculiaris fuit præscriptus pro discretiva visibiliter servanda in quolibet Ordine Regulari.* — 28. *Quam diversitatem Habitum, et præceptum servandi formam illius juxta præscriptum a Constitutionibus procedere etiam quoad Moniales, decrevit Sacra Congr. Concilii.* — 29. *Una Religio non debet, nec potest assumere Habitum alterius Religionis.* — 30. *Clerici sæculares nequeunt deferre Habitum Regularium, et e contra.* — 31. *Pueri quoque sexto ætatis suæ anno expleto non possunt amplius neque ex devotione Habitum Religiosum deferre, sed ipsum debent statim deponere.* — 32. *Novitio exeunti non est restituendus Habitum Religionis, sed illius pretium.* — 33. *Præfinitur tempus pro illis, qui Habitu Tertiariorum recepto cum Claustralibus habitant, et poenæ in Superiores transgressores, usque ad n. 35.* — 36. *Prohibentur disputationes super vera forma Habitum Sancti Francisci.* — 37. *Interdicuntur libri omnes tractantes de vera forma Capituli.* — 38. *Insuper inscriptiones omnes imaginum SS. Francisci, et Antonii de Padua, in quibus asseritur latam formam Habitum esse eandem, qua ipsi usi fuerunt, etc.* — 39. *Suspenduntur quoque, et prohibentur Imagines Sancti Augustini, et Sancti Nicolai de Tolentino, et aliorum Sanctorum ejusdem Ordinis impressæ et depictæ a Fratribus discalceatis Augustinianis in eorum Habitu.* — 40. *Imagines Domini nostri Jesu Christi, et Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, et Sanctarum nequeunt sculpi, aut pingi cum Habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, seu alio modo in Ecclesia Catholica incon-*

(1. *Habitus non facit Monachum, sed Professio regularis, textu expresso in cap. *Porrectum 13 de Regularibus*, ibi: « Cum Monachum non faciat Habitum, sed Professio regularis, » et in capit. expart. 22, eodem titul., ibi: « Cum habitus non faciat Monachum, sed Professio regularis; » et est communis doctorum sententia cum Glossa in cit. cap. *Porrectum*, verb. *Non facit Habitum*. (2. Ad hoc tamen, ut Professio regularis faciat verum Monachum, debet Novitius per integrum annum probationis deferre Habitum*

sueto, et jam sic sculptæ et pictæ prohibentur teneri, et publico aspectui exponi, et mandantur ab Ecclesiis, et ab aliis locis quibuslibet amoveri, et deleri sub gravissimis poenis. — 41. *Habitum Fratrum Mendicantium osculantibus sunt concessæ Indulgentiæ, et quæ?* — 42. *Tales Indulgentiæ lucrari possunt iidem Regulares.* — 43. *Eligentes mori, et sepeliri cum Habitu Fratrum Minorum, et respective Monialium S. Claræ, et Sororum Tertiæ Regule lucrantur inter alias Indulgentiam plenariam, ad quam lucrandam sufficit Habitum prædictum petere, ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiamsi ante mortem non induatur.* — 44. *Eligentes sepeliri in aliquo Habitu Religiosorum sive Minorum, sive aliorum, debent, ut lucrentur Indulgentiæ, recipere habitum a Superiore illius Religionis, cujus est Habitum, vel ab alio de cujus mandato.* — 45. *Volentes sepeliri cum Habitu Religiosorum non est de necessitate, quod tumulentur in Ecclesiis eorum, quorum est Habitum, sed possunt sepeliri ubi sepulturam elegerint.* — 46. *Corpora volentium sepeliri cum prædicto Habitu possunt deferri ad sepulturam sine alio pallio, vel tegumento superimposito, non obstante quacunque ordinatione, vel prohibitione Ordinariorum locorum, etiam sub Censuris facta.* — 47. *Sæculares utentes Habitu Religiosorum ignominiose in ludis vel in lasciviis, peccant mortaliter, et incurunt graves poenas, et possunt puniri etiam per Judices Sæculares.* — 48. *Sic mortaliter peccaret, qui Habitum traderet ad lulum profanum, aut ad facinus exsequendum.* — 49. *Moniales tempore Bacchanalium recreationis gratia nequeunt dimittere proprium Habitum et assumere alium Sæcularem, præsertim virilem.* — 50. *Femina non potest uti veste virili, nec vir veste feminea, et si hoc fiat sine prava intentione, periculo scandali, et libidinis, erit tantum peccatum veniale, alias mortale; et si fiat ex necessitate, nullum erit peccatum.* — 51. *Habitum, et Tonsuram deferre tenentur Clerici beneficiati, non solum in sacris constituti, sed etiam in Minoribus, et Tonsurati sub poena privationis ipso facto beneficiorum, et pensionum, absque alia monitione.* — 52. *Habitum decentem, atque vestem talarem deferre tenentur percipientes fructus, vel pensiones ex Beneficiis Ecclesiasticis excedentes valorem 60 ducatorum auri de camera.* — 53. *Habitum dimittens Clericalem potest illum iterum reassumere, non obstante Irregularitate superveniente, et Ordinarii prohibitione.* — 54. *Clericalis vestis Laicis Curialibus permittitur præter Collare, quod sit a Collari Clericorum diversum.* — 55. *Cætera usque ad num. 63, non indigent sumario, cum satis summarie referantur in decretis adductis.* — 64. *Utens Habitum honorifico alicujus, ab eo inhiberi potest.* — 65. *Habitus parvi an benedicti debeant a Parochis, vel a Religiosis postea introductis in eadem Parochia?* — 66. *Canonici Regulares Lateranenses obtinentes ex Indulto Apostolico Beneficium sæculare, an teneantur deferre Habitum Regularem.* — 67. *Alia concernentia Habitum Clericalem remissive.* — 68. *Alia concernentia Habitum Religiosum, remissive.* — 69. *Habitus quoad Tertiarios, remissive.*

Monachalem, seu Regularem, aliter professio est invalida. Conc. Trid. cap. 13, sess. 25, *de Regularibus*, et sic tenent communiter doctores, et Glossa in cap. final., verb. *Habitus*, 17 quæst., et in cap. *Super eo, de Regularibus*, ubi expresse dicit probationem debere fieri in Habitu Monachali, et cap. *Statuimus, de Regularibus*; « alioquin, inquit, non posset probare austeritatem Monachalem, quæ magna ex parte in vestibus consistit. » (3. Et quod in habitu sæculari nequeat fieri Novitatus, expresse decrevit Sac. Cong.